



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo||nis Episcopi Hal-||berstatten[sis] Homiliarum,
nunc sexto || maiori [pro] ante hac unquam dili||gentia
excusarum, || Pars ...**

praeter omnes omnium appendices, accesserunt iam recens homiliae
aliquot piæ, ante hoc tempus excusæ nusquam

Pars Aestivalis

Haimo <Altissiodorensis>

Haimo <Halberstadensis>

Coloniae, 1551

VD16 H 222

Dominica xix. post pentec.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39335

autorem, sed potius ad diabolum pertinere. quasi diabolus cum habeat semper cupiditatem nocēdi, nocere cuiquam possit, nisi ab omnipotente acciperet potestatem. Nam quid aliud non solum in libro beati Iob, quem memorata hāresis cum ceteris testamēti libris & cum ipso deo qui dedit, quasi maligno mundi principe, ut insanos exufflat, sed **Matt. 8^o** etiā euāgelio declaratur, ubi demonia, nec in porcos ire potuisse, nisi hoc illis ipse cōcederet, legitur.

DOMINICA XIX. POST
pentecosten, I. ad Corinthios I.

FRatres, Gratias ago deo meo, id est, laudes refero deo meo [semper pro uobis:] Cum dixit Apostol^o, Gratias deo, nō sine causa addidit, meo. Cum enim omnium creaturarum unus sit deus per naturam atq; potentiam, eo qd sit creator omnium illorum, tamen deus proprie esse dicitur, qui merito fidei & iustitię eius cultores esse probantur, sicut beati Pauli aliorumq; apostolorum. Hinc dicitur, Ego sum deus Abraā, **Exo. 3^o** deus Isaac, & deus Iacob, per gratiam & uite meritum. Et quare gratias dicit se agere semper pro salute illorum, cum nemo hominum semper possit intentus esse orationibus aut gratiarum actionibus? Nam sicut in scripturis patrum legimus, Apostolus ab hora prima usq; ad quintam laborem manuum infatigabat: ab hora autem quinta usq; ad decimam prædicationi operam dabat: post decimam uero, iterū procurabat pauperū peregrinorumq; hospitalitatem, suiq; corporis necessitatem: per noctem uero orationi attentissime insudabat. Igitur, ppter nimiam assiduitatem, qua per singulos

dies & noctes deo gratias laudesq; referebat, tam pro Corinthiis quam pro omnibus quos Christo acquiserat, dixit se gratias referre deo semper pro illis. [in gratia dei] subauditur patris, id est, pro remissione peccatorum. [quæ data est uobis] gratis a deo patre [in Christo Iesu, hoc est, p̄ fidē Christi Iesu. Illis autem tantummodo largitur deus pater gratiam suam, remissionē uidelicet peccatorū, quos ueraciter cognoscit credere in filium suum, Gratia dicitur gratis data. Et non immerito remissio peccatorum & fines gratia dei appellatur: quia quicquid bonorum habemus, dei gratia est: quoniam gratis nobis tribuitur, nullis præcedentibus meritis. [q̄a in omnibus diuites facti estis in illo.] hoc est, in Christo. In quibus rebus erant illi diuites effecti? In fide, in doctrina, in diuersitate linguarū, in efficacia miraculorū. Istę sunt diuitiæ spirituales, in quibus ditantur electi: [in om̄i uerbo,] id est, in doctrina noui testamenti, & in om̄i scientia ueteris testamenti, uel ut ita dicamus, in om̄i sapientia & scientia siue intellectu ueteris & noui testamenti, sicut testimonium Christi confirmatum est in uobis. [Testimonium Christi appellat euangelium, in quo narratur testimonia natiuitatis Christi, miraculorum quoq; necnon passionis, resurrectionis, ascensionisq; eius ad caelos, & aduentus illius ad iudicium: quæ testimonia Christus ante passionem suam prædixit, & omnia in morte sua confirmauit. Videamus unum testimonium ex multis, & consideremus quomodo illud prædixit, & quomodo confirmauit. Longe ante passionem suam dixit discipulis: Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur om̄ia quę scripta sunt

Luc. 18.

per prophetas de filio hominis. Sic omnia illo ueniente Hierosolymam completa sunt: quia traditus est gentibus, a Pilato & militibus eius illusus, occisus, & die tertia resurrexit, unde dicit Apostolus: [Sicut testimonium Christi. Id est, euangelium: confirmatum est in uobis,] hoc est, creditum est a uobis & confirmatum in uestris cordibus, qui omnia creditis uera esse quæ ibi continentur.

ita ut nihil uobis desit in ulla gratia.

id est, neq; in fide, neq; in doctrina, neque in diuersitate linguarum, neque in uirtute miraculorum:

¶ Quæstio oritur in hoc loco, si Corinthij diuites erat facti in omni uerbo & in omni scientia, & si tanta gratia erant impleti, ut nihil eis deesset gratiæ, sicut in sequentibus dicitur: quare Apostolus in subsequentibus huius epistolæ locis dicat illos contentiosos esse, & insuper addat, Ad uerecundiam uestram dico. Quæ hoc modo soluitur: Sicut in omnibus ecclesiis duo sunt genera hominum, bonorum malorumq; ita & apud Corinthios tunc temporis erant. Primum ergo Apostolus a laudibus cœpit & gratiarum actione, alloquens eos q; in fide bonisq; operibus perfecti erant, abundantes diuitijs spiritualibus, ut ipsi semper in melius proficerent: sicq; postmodum fortiter cœpit redargue-
re illos qui in fide errabant dissensionesq; seminabant, more peritissimi medici agens, qui uulnus secandum uidens, sed ægrum timidum esse conspiciens, diu palpat sana mēbra, subitoq; percutit: more etiam arietis, qui primū humiliato capite incedit, sed postmodum fortiter ferit. Primum eū laudauit bonos, & deinde percussit malos. Verecundiæ etenim mentes, nisi fuerint palpando reprehensæ,

1. Cor, 6

Simile



ita ut ex alijs rebus audiant quod in consolatione
sumant, p increpatione duram protinus ad despe-
rationem cadunt. expectantibus revelationem
domini nostri Iesu Christi.] Reuelatio est mani-
festatio. Christus ergo modo absconditus est quo-
dammodo, & non apparet, quia non uiderur a no-
bis nisi mēte. Videbitur autem in die iudicij, quan-
do se manifestabit omnibus hominibus, tam ele-
ctis quam reprobis, sicut scriptura dicit in uno p-
pheta per scripturam. Videbit omnis caro saluta-
re dei. & tunc dabit electis gloriam quam eis pro-
misi sine fine māsura. Vnde Apostolus alias di-
cit. Mortui, inquit, estis peccato, & uita uestra ab-
scondita est cum Christo in deo. Cum enim appa-
ruerit uita uestra, tunc & uos appare bitis cum illo
in gloria, quia eritis sicut angeli in caelo : & quod
maius est, similes ei erimus spiritu, quoniam uide-
bimus eum sicuti est. [qui & confirmabit uos.] id
est, roborabit in sua fide & in bonis operibus. [us-
que ad finem.] id est, usq; ad diem mortis nostrae.
uel usq; ad diem iudicij. [sine crimine.] Nō dicit,
sine peccato : sed, sine crimine, id est, sine capitali
peccato, quod a regno caelorum separat. Nam nul-
lus est homo super terram qui faciat bonū, & non
peccet aut in uerbo, aut in cognitione. Vnde Io-
hannes ait: Si dixerimus quia peccatum non habe-
mus, nos ipsos decipimus, & ueritas in nobis non
est. Quod autem dicit. [confirmabit uos usq; ad fi-
nem.] hoc exposuit subnectens: [in die aduentus
domini nostri Iesu Christi,] quando ipse ueniet
reddere unicuiq; secundum opera sua. Duae autem
sunt uocationes. Vna est quae fit singulis homini-
bus, quādo ab hac uita per mortem corporis trās-

Isa. 40.

Luc. 3.

Col. 3.

Eccēs. 7

1. Joh. 1.

Matt. 16.

sunt uocati a domino. Altera erit generalis in die iudicij. quando omnes tam boni quam mali ad iudicium uocabuntur. Et quos in ista prima uocatione inuenerit deus omnipotens bene laborantes, illos utiq; in secunda nō uocabit ad hoc ut condemnet cū reprobis, q̄ audituri sunt, Ite in ignē æter- Mat. 25
 nus sed potius ut remuneret cū electis, q̄bus dictu- Ibidem
 rus est: Venite benedicti patris mei, percipite regnū q̄d uobis paratū est ab origine mundi. In omnibus em̄ uerax apparebit, sicuti sequentia manifestans
 Fidelis deus, per quem uocati estis in societatem filij eius Iesu Christi dñi nostri.

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN. Matth. XXII.

In illo tempore Accesserunt ad Iesum Sadducei, qui dicunt non esse resurrectionem. Et reliqua.



PRædicante domino nostro Iesu Christo, duæ præcipuæ hæreses erant inter Iudeos, una Sadducæotū, & altera pharisæorum. Sadducæi autem dicuntur, qui Saducū quemdam magistrum legis sequentes, neq; resurrectionē credebāt, neq; angelos, neq; spiritus esse. Hi tantum quinque libros Moyſi recipientes, oracula prophetarum respuebāt. Et contra pharisæi, qui diuisi interpretantur, eo quod a

MM iiii

cæteris in quibusdam obseruationibus se separarent, & resurrectionem credebant corporum, & angelos & spiritus esse fatebantur, & non solum quinque libros Moyſi, sed etiam oracula prophetarum recipiebant. Saducæi ergo, ut resurrectionis ueritatē negare possent, turpitudinis fabulā cōposuerunt de muliere, quæ septē fratres habuerit. Unde & interrogauerūt eum, dicentes: Magister, Moyses dixit: Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater eius uxorem illius, ut suscitaret semen fratris sui. Erant autem apud nos septē fratres, & primus uxore ducta defunctus est: & nō habens semē, reliquit uxorem suam fratri suo. Similiter secundus & tertius, usque ad septimum. Nouissime autem omnium & mulier defuncta est. In resurrectione ergo cuius erit de septem uxor? Omnes enim eam habuerunt. ¶ In quibus uerbis patet, quod non solum spiritualiter, sed etiam nec iuxta literā recte se intelligere demonstrabāt. Potuit quadam infelicitate accidere, ut in eodem populo, quia legis obseruantia defecerat, septem fratres unam habuerint uxorem: sed hoc Moyses in lege non precipit. Qui enim de primo & secundo legem dedit, & de cæteris tacuit, neque quam septem fratres unam uxorem habere iussit. Sed hoc mandatum spiritualiter potius, quam carnaliter est intelligendum. Frater enim noster, dñs est Iesus Christus, qui cum sit creator & dominus noster per diuinitatē, nobis fieri dignatus est frater per humanitatē, sicut ipse ait in euāgelio: Qui cumque fecerit uoluntatem patris mei qui est in cælis, ipse meus frater, soror & mater est. Et per pro-

Deu. 25.

Mat. 12.

phetam: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesie laudabo te. Huius uxor ecclesia sancta est, cui ipse per prophetam ait. Sponsabo te mihi in iustitia & ueritate. De qua per Iohannem in Apocalypsi dicitur: Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem, nouam, descendantem de caelo, tanquam sponsam ornata uero suo. Mortuus est sine liberis, quia ante passionem suam paucos Iudeorum per suam predicationem & bonum exemplum filios spiritualiter deo generauit. Primogenito quoque fratris nomen imponit, quia a Christo Christiani uocamur, ut intelligant doctores non suos esse proprios, sed dei, quos per predicationem generant. Sed Sadducei, quia scripturas spiritualiter non intelligebant, resurrectionem negare uolebant. Unde congrue a domino audierunt:

Erratis, nescientes scripturas, neque uirtutem dei. Quia enim scripturarum sensus ignorabant, consequenter Christum, qui est dei uirtus & dei sapientia, minime cognoscebant. Quid autem de resurrectione credere uel sentire debeamus, manifestat cum ait: In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut angeli dei in caelo. In quibus uerbis proprietates Latinae linguae cum Graeca eloquentia non concordat. Apud Latinos enim proprie femina nubere, & uiri uxores ducere dicuntur. Sed hanc proprietatem Graeci sermonis sequimur, cum dicimus: [Non nubent,] scilicet uiri [neque nubentur,] scilicet uxores. Non ergo nubent in resurrectione uiri, neque nubentur uxores, quae habebunt quidem corpora uera, quae possunt nubi & nubere, sed tamen immortalia, & absque infirmitate: & ideo non solum a pollutione, sed etiam

am ab omni corruptiōe aliena. Quales autē sunt, qui in hoc seculo digni habētur, manifestat, dicēs: [Sed erunt sicut angeli dei in caelo,] id est, immortales effecti. De resurrectione autem mortuorum non legis quod dictum est a deo dicente uobis: Ego sum deus Abraam, & deus Isaac, & deus Iacob:] ¶ Ad comprobandam resurrectionis ueritatem, multo apertiora testimonia dominus de oraculis prophetarum proferre poterat, ex quibus est illud: Expecta me, dicit dñs, in die resurrectionis meae in futurum. Et iterū in Osee: Viuificabit nos post duos dies, & uinemus in conspectu eius. Et in Daniele: Multi quidem de terrae puluere confurgent, alij in uitam aeternam, alij in opprobrium sempiternum. Et Psalmista: Ego dormiui & soporatus sum, & exurrexi, quia dominus suscepit me. Sed (sicut superius dictum est) quia Sadducæi, cōtra quos de resurrectione sermonem habebat, oracula prophetarum non recipiebāt, ideo superfluum erat ex illis libris proferre testimonia, quos illi non recipiebant. Quod si diligenter consideramus, hoc testimonium euidenter ad resurrectionem pertinere cognoscimus. Cum enim quadringentesimo circiter anno post mortem Abraham hæc dominus Moyse loqueretur, nō dixit: Ego fui deus Abraam, deus Isaac, deus Iacob. sed, Ego sum, ostendens animas non simul cū corporibus (ut Sadducæi putabāt) interiisse, sed uinere & esse. Vnde & subditur. Nō est deus mortuorum, sed uiuentium. Illorum autē deus esse non posset, si nō subsisterent. Et audientes turbæ, mirabātur in doctrina eius. Pharisei autem audientes quod filii-

Soph. 3.

Osee. 6.

Dan. 12.

Psal. 3.

Exod. 3.

¶ Imposuisset Saducæis, conuenerunt in unū.]
 ¶ Cum reprobi inter se discordes sint, frequenter
 in bonorum oppressione concordare solent, sicut
 de Herode & Pilato legimus, quia cum essent ini- Luc. 23.
 mici ad inuicem, in domini passione amici facti
 sunt. Ita Saducæi & pharisæi duæ hæreses Iudæo-
 rum, cum inter se diuersa sentirent, ad dominum
 calumniandum pari mente conueniebant. Dole-
 bant enim pharisæi, Saducæos, mirantibus turbis
 atq; gaudis, a domino esse superatos, quos si ipsi ui-
 cissent, utiq; gauderent: & ideo inuidia ducti, con-
 uenerunt in unum. Et interrogauit eum unus
 ex eis legis doctor, tentans eum: Magister,
 quod est mandatum magnum in lege?

¶ Unus eum interrogauit pro omnibus. Quod em̄
 tenendo eum interrogauit, ex ipsis suis uerbis
 demonstrat, cum ait: [Magister.] Si enim uere in-
 terrogasset, magis dominum, quam magistrū ap-
 pellasset. Ex qua interrogatione pharisæi intelli-
 gimus, grauem quæstionem inter Iudæos illo tem-
 pore fuisse uerticam, de præcepto legis contēden-
 tes, & alijs hoc, alijs illud præferentibus. Alij enim
 circumcisionem meliorem esse dicebant, alijs sabbæ-
 ti obseruationem magis ualere arbitrati sunt, alijs
 hostiarum & uictimarum oblationē præferebāt,
 alijs Calendas & festiuitates, præponere uolebant.
 Interrogauit ergo pharisæus dñm, qđ sit magnū
 mandatū in lege, ut dū unum magnū diceret, cæ-
 tera mādāta infamare uideretur, ac p hoc illorum
 odiū incurreret, qui aliud mandatū legis laudare
 uolebant. Sed dominus ira suam responsionē tem-
 perauit, ut quod esset magnum mandatum, osten-

deret, & se irreprehensibilis permaneret. Ait enī

Diliges dominū deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum mandatum. ¶ Dilectio ergo dei dicitur maximum & primum esse mandatum, non tantum pro ordine, quātum pro dignitate. Vfus enim scripturę est uocare primū quod est melius, sicut populus Israeliticus primitias auri & argenti iussus est offerre, id est, quod preciosius erat in auro & argento. Et Ieremias propheta de eodem populo dicit: Sanctus

Iere. 2. Israel domino primitiæ frugum eius. Maximū igitur & primum mandatum charitas est, quia ipsa & in nouo & in ueteri testamēto primatum obrinet sicut ait apostolus Paulus: Maneat in uobis fides, spes, charitas, tria hæc, maior autē his est charitas.

1. Cor. 13 Nobis autem interrogatio pharisæi proficit, quibus dicitur: [Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.] In quibus uerbis considerandum est, quia in dilectione dei mensura non ponitur, quum toto corde, tota anima, tota mente eum diligere precipimur. Quia enim immensus est deus, sine mensura est diligendus, ut cum eum multum diligimus, parum nos diligere fateamur, nullusque locus in nobis remaneat uacuus, qui dei dilectione non repleatur, sed mens, lingua & manus, eius dilectione resonent. Sed quia deum nemo perfecte diligere potest, nisi diligat & proximum, recte subdit:

Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.

¶ Debemus igitur diligere deum plus quam nos,

& p̄ximū tanquā nos. i. sicut uolumus nostræ ne-
 cessitati subueniri, sic subueniamus & p̄ximi. & sic
 ut nostræ uolumus infirmitati cōpati, sic cōpatia-
 mur & p̄ximi: & sicut ad uitā uolumus puenire
 gternā, sic optemus & p̄ximū nobiscū puenire. &
 hoc ē diligere p̄ximū tāq̄ nosip̄os: qm̄ tūc diligi-
 tur de⁹, si ex dilectiōe p̄ximi ei⁹ dilectio cōdiatur.
 Frustra em̄ se deū diligere asserit; q̄ p̄ximū suū nō
 diligit. Hinc p̄ Iohānē apostolū dicitur: Si q̄s dixe-
 rit qm̄ diligo deū, & fratrem suū oderit, mēdax ē. Et
 iterū. Qui nō diligit fratrem suū, quē uidet, deū quē
 nō uidet, q̄modo potest diligere? Et hoc mandatū
 habemus a deo, ut q̄ diligit deū, diligat & fratrem suū.
 Sicut em̄ auis ad alta se sustollere nō potest sine du-
 abus alis, sic nos ad p̄fectionē ueræ charitatis ueni-
 re nō possumus, nisi geminā dilectionē, dei uide-
 licet & p̄ximi, seruemus. Vñ & in ornamento pō-
 tificis coccus bis tinctus poni p̄cipitur, ut uideli-
 cet in nostro bono opere dilectio dei & proximi
 cōiungantur, qm̄ hoc cōfirmat dñs, cum subiūgit:
In his duobus mandatis uniuersa lex pendet
 & p̄phetæ. ¶ Si cui non uacat omnes libros lege-
 re, teneat dilectionem dei & proximi, & uniuersa
 impleuit, teste Apostolo qui ait: Qui diligit proxi-
 mum, legem impleuit. Nam, non adulterabis, nō
 furtum facies, non occides, non falsum testimoni-
 um dices, non concupisces uxorem proximi tui,
 & si quod est aliud mādatum, in hoc uerbo instau-
 ratur: Diliges proximū tuum sicut teipsum. Et ite-
 rum Plenitudo legis est dilectio. Mādatum chari-
 tatis & larum est & breue. Larum, exhibitōe ope-
 ris, sicut p̄ Psalmistā dicitur: Latū mādatū tuum ni-
 mis. Breue in descriptiōe sermonis, sicut in hoc lo-

1. Ioh. 4.

Ibidem.

Rom. 13

Ibid.

Psal. 118

- co: Diliges proximum tuum sicut teipsum, sicut per prophetam dicitur, Abbreuiatum sermonem faciet dominus super terram. Duo ergo sunt erga dilectionem proximi obseruanda. Primo, ne quicquam laedas: secundo, ut bona quae uales impendas. quia qui dixit, Quod tibi non uis fieri, alij ne facias, ipse alibi ait, Quod uultis ut faciant uobis homines, & uos facite illis. Ut enim multi arboris rami ex ima radice procedunt, sic & caeterae uirtutes ex dilectione dei & proximi procedunt. Sed sine causa gloriatur habere ramos boni operis, qui non habet radicem charitatis. Quod dominus alibi ostendit, cum ait: Omnia habenti dabitur, & a bi dabitur ei autem qui non habet, & quod uidetur habere, auferetur ab eo. quia qui habet charitatem, adicientur ei caeterae uirtutes: qui autem eam non habet, frustra de elemosyna, abstinencia & uigilia gloriatur, teste Apostolo: Si linguis hominum loquar & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum uelut aes fonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & reliqua. Quam dominus in euangelio collaudans, ait discipulis: In hoc cognoscet omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. Et iterum: Mandatum nouum do uobis, ut diligatis inuicem. Vultis scire quid sit hoc? Audite Iohannem apostolum dicentem Deus charitas est, & qui manet in charitate, in deo manet, & deus in eo.
- Mat. 7.** Congregatis autem pharisaeis, interrogauit eos Iesus, dicens: Quid uobis uidetur de Christo? cuius filius est? & reliqua. Cum dominus alibi ait, Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas uestras ante porcos, quid est quod ipse Iudeos, qui suis interrogationibus eum dilanabant, illa quae iusta

& sancta sunt, docet? Ad quod dicendum, quia nō dedit sanctum canibus, neq; misit margaritas suas ante porcos: sed ideo prædicationem suam ab oibus patefecit, quia tales erant in turba, qui per eius prædicationem credituri erant: & ut illi qui credituri erant, haberent quod crederent: q; uero credere nollent, inexcusabiles essent, sed pharitis p uarias interrogationes errantibus, dominus quod ad credulitatem & salutem pertinet, interrogauit eos, dicens: [Quid uobis uidetur de CHRISTO: cuius filius est?] At illi quod legerant nec negare poterāt, responderunt dicentes: [Dauid.] Sic enī ad eundem Dauid dictum nouerant: Et erit postquam dormieris tu cum patribus tuis, suscitabo nomen tuum post te, quod erit de filijs tuis, & stabiliam regnum eius. Et iterum: Ecce dies ueniunt dicit dñs, & suscitabo Dauid germē iustum, & regnabit rex & sapiens erit. Interrogatio saluatoris multum nobis proficit contra Iudæos, eos scilicet qui eum tm̄ hominem, & nō deum credunt. Nos autem ab illo docti, interrogemus eos, Si Christus tantum homo est, & non deus, quomodo Dauid in spiritu uocat eum dominū dicēs: Dixit dñs domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid uocat eum dñm, quomodo filius eius est? Et cū non habuerint qd respondeant, nos fidutialiter respondeamus, hūc & dñm Dauid, & filium Dauid. dñm Dauid in diuinitate, filium Dauid in humanitate: dñm Dauid, p hoc qd in principio erat uerbū, & uerbū erat apud deū, & deus erat uerbū: filiū Dauid p hoc qd uerbū caro factum ē, & habitauit in nobis. Nec mirum,

2. Pa. 17.

Iere. 23
& 33.

Ich. 1.

si unus idemq; mediator dei & hominū dominus Iesus Christus, & dominus dicitur Dauid, & filius Dauid, cum hodie in plurimis cōtingere soleat, ut aliq; episcopus ordinatus, patris sui dicatur pater, nō nascendi ordine, sed honore. ¶ Sed illud nō est præmittendum, quod Iudæi de scripturis multa mentientes, hunc Psalmū in persona Abraæ tradunt fuisse decantatū a puero eius Damasco Eliezer, ut sit sensus. Dixit dominus, id est, deus omnipotens: domino meo, id est, Abraæ, sede a dextris meis, quando eum a cæde quinq; regum reuertentem triumpho uictoriæ glorificauerit, quoniam sessio uictori paratur. Interrogemus ergo eos q̄ modo Abraæ conueniat, quod in eodem Psalmo sequitur: Ex utero ante Luciferum genuite. Et iterum: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinē Melchisedec. Dicant ergo, quomodo Abraam ex utero dei ante Luciferum sit genitus, cum eius ortum & natiuitatem legamus: & quomodo fuit sacerdos secundum ordinem Melchisedec, cum ipse potius p̄dam eidem Melchisedec obtulerit, & ab eo benedictionem postulauerit. Et cum responderē potuerint, nos firmiter credamus, hunc Psalmum in persona Christi esse decantatum. Et est sensus: [Dixit dominus,] id est, deus pater. [domino meo,] id est, deo filio. Quod autem ait, [Dixit dominus domino meo,] geminatio unius nominis, non diuisionem ostendit substantiæ, sed proprietatem uniuscuiusq; p̄sonæ: quia in natura quod est pater, hoc est filius, sed tamen alia est persona patris, alia filij. Dixit autem quod nec ille ore protulit, nec iste aure intentus audiuit, sed quod uult pater, nouit filius: & q̄d uult filius, nouit pater, quo

Psal. 109

Ibid.

tū dicere, uelle est. Quod uero ait, [sede a dextris meis,] uictori filio dicitur, quia sessio uictori debetur. Qui postquam per suam passionem & resurrectionem antiquum hostem superauit, humanitatem, quam ex nobis assumpserat, in dexterā patris collocauit, Marco euangelista teste qui ait: **Mat. 16.** Dominus quidē Iesus postquā locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet a dextris dei. non quod deus pater dexteram uel sinistram habere credendus sit, sicut & nos, sed totus est dexter, quia totus est sanctus. Quod uero subiungit, [donec ponā inimicos tuos scabellum pedum tuorum,] aduerbium finitum pro infinito posuit tempore. Vt enim scripturæ est, hoc aduerbium finitū aliquando pro finito, aliquando pro infinito ponere. Pro finito, sicut per Isaiam prophetam dicitur: **Isaig. 26** meus, intra in cubicula tua, absconderē modicum ad momentum, donec pertrāseat indignatio. Pro infinito, sicut ait Psalmista: **Psal. 122.** Oculi nostri ad dominum deum nostrum, donec misereatur nostri. Et Propheta: Donec senescatis, ego sum. Nunquid post illorum senectam deus futurus non erat, aut oculi nostri cessabunt respicere ad eum, postquam misertus fuerit nostri? Non, sed (ut diximus) finitū pro infinito posuit. Sic & in hoc loco dum dixit, [donec ponam inimicos tuos &c.] hoc aduerbium infinitum eternitatē Christi sonat. Scabellum enim ascendendo dicitur: pedes autē eternitatem eius perpetuæ stabilitatis designant. Inimici uero, qui sub scabello pedum ponuntur, non perferentes inimici intelligendi sunt, sed illi qui quondam inimici, per conuersionem reconciliati, facti sunt amici. Quod in eo facile intelligitur, quia filii

us sub cuius scabello pedum ponuntur, in dextera sedere dicitur. Soli enim electi in dextera ponendi sunt, ipso dño dicente: Statuet quidem oues a dextris, hœdos autem a sinistris. Tunc dicit illis, qui

Mat. 25. a dextris eius erūt: Venite benedicti patris mei, poscite sedere paratū uobis regnū a constitutione mundi:

Et nemo poterat ad hæc respondere ei uerbum, neq; ausus fuit ex illa die amplius quisquam eum interrogare. ¶ Videntes pharisæi in suis interrogationibus domini laudē crescere, & suam uituperationem, non ausi sunt eum amplius interrogare: quia quicquid dixerint, contra se dictum sentiebant. Sed quem interrogare non audebant, manifeste comprehensum Romanæ tradiderunt potestati, ut intelligamus quia uor & inuidia superari potest, sed quiescere nescit.

Tunc locutus est Iesus ad turbas, & ad discipulos suos, dicēs: Super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi. Omnia ergo quęcunq; dixerint uobis, facite & seruate, secundū uero opera eorum nolite agere. Dicunt enim, & non faciunt. ¶ Grandis in hoc loco domini ostenditur patientia, sed non minor eius declaratur beneuolētia. Scribæ ergo & pharisæi grauissimis hūc quaestionibus laceffere cupiebāt, ipse autē ad eorū subiectionem & uenerationem turbas hortabatur, dicens: [Super cathedram Moysi & reliqua.] Cathedra autem sedile est ligneum, sustentationi corporis undiq; aptum, & ideo magistris & doctoribus congruum. Per cathedram nanq; aliquādo bona, aliquando mala significatur doctrina: mala, sicut in primo Psalmo legitur, In cathedra pestilē

Psal. 11.

tiz non sedit: bona, sicut Psalmista a libi: Exaltent psal. 106
 eum in ecclesia plebis, & in cathedra seniorū lau-
 dent eum. Sic & in hoc loco in bono ponitur, cum
 dicitur: [Super cathedram Moyfi.] Hic cathedra
 Moyfi, doctrinā legis significat, quæ pro eo Moy-
 si dicitur, quia a domino data, specialiter populo
 per Moysen est administrata. Super cathedram er-
 go Moyfi sederunt scribæ & pharisæi, quia in do-
 ctrinā legis quieuerunt. Et ideo dominus ad corū
 doctrinā audiendā turbas hortabatur, quia quan-
 uis male uiuerent, tamen bona dicebāt. Quia quā
 uulgari populus intelligere non poterat, illi spe-
 ciali. et a domino ad docendum populum accepe-
 rant. In eo enim, quod bene docebant, audiendi
 erant: in eo quod male uiuebant, nec audiendi nec
 imitandi erant. Vnde & bene dicitur: [Omnia enim
 quæcunq; dixerint uobis, seruate & facite.] Quia
 enim non suam doctrinam, sed dei prædicationē
 docebant, ideo ad eorum doctrinam audiendam
 uel obseruandā populū inuitabat: & quod ad eo-
 rum prædicationem obseruandā populum pro-
 uocauerat, nunc ab eorum imitatione obseruanda
 reuocat, cum subiungit: [Secūdum uero opera eo-
 rum nolite facere.] Quicunq; enim hodie in eccle-
 sia bene docet, & male uiuit, scriba est & pharisæ-
 us. Sed cuius uita despicitur, restat ut eius prædica-
 tio contemnatur, tamen propter mala opera bo-
 na prædicatione non est relinquenda. Vnde Paulus Phil. 1
 apostolus dicit: Siue ex occasione, siue ex ueritate
 Christi annūcietur, in hoc gaudeo, sed & gaudebo.

Alligant enim onera grauiā & importabi-
 lia, & imponunt in humeros hominū, digito autē
 suo nolunt ea mouere.] Onera grauiā & impor-

- tabilia praecepta legis fuerunt, quae propter duritiam Israelitici populi, durata & aspera sunt data, in tantum ut nullus ea iuxta literam implere possit.
- Act. 15.** sicut Petrus apostolus testatur. Quid uultis imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus? Sed per gratiam domini Iesu credimus saluari, quem admodum & illi. Sed onera grauiora & importabilia scribae & pharisaei grauiora fecerant, quasdam obseruationes & superstitiones addentes in lege, ut per haec simplicem turbam ad suam uenerationem inclinarent, sicut eis dominus alibi exprobrat,
- Mat. 15.** dicens: Hypocritae, quare transgredimini mandatum dei propter traditiones uestras? Nam deus dixit: Honora patrem tuum & matrem. Vos autem dicitis: Munus quodcumque est ex me, tibi proderit, & non honorificatis patrem, & irritum fecistis mandatum dei propter traditiones uestras. Digno autem suo nolunt ea mouere, quia non solum maiora legis praecepta non obseruabant, uerum etiam in minora digito operationis tangere uolebant. De quibus alibi: Vt uobis scribae & pharisaei hypocritae, qui tulistis clauem scientiae. Sed quia haec non amore dei, sed cupiditate laudis humanae faciebant, recte subiungitur: Omnia uero opera sua faciunt, ut uideantur ab hominibus. Erant enim tales, ut illud audire mererentur, quod dominus alibi ait:
- Luc. 16.** Vos estis qui iustificatis uos coram hominibus, deus autem nouit corda uestra. De quibus alibi dicitur: Amen dico uobis, receperunt mercedem suam. Unde alibi fortiter eos increpat, dicens: Vae uobis scribae & pharisaei hypocritae, qui similes estis sepulchris dealbatis, & reliqua. Quorum uitia do-

minus deregit, cum adhuc subiugit, dicens:

Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias.] Cum dedisset dominus legem per Moysen, ad extremum intulit: Ligabis eam in **Deu. 6.** digitis tuis, & erunt immota ante oculos tuos, & meditaberis in eis die ac nocte. Et est sensus. Ligabis eam in digitis tuis, id est, opere adimplebis. Et erunt immota ante oculos tuos, hoc est, iugiter meditaberis in eis. Scribæ ergo & pharisæi uanæ gloriæ amatores, decem uerba legis in membranulis scribebant, & ea frontibus tuis circumligabant, ut inuicem se salutantes, atq; obuiantes, præceptorū legis recordarentur & ipsa p̄tatiola, phylacteria uocabant, iusserat quoq; dñs in lege, ut in quatuor angulis palorum hyacinthinas fimbrias ponerent, ad israeliticum populum dinoscendū. **Nu. 15.** Scribæ ergo & pharisæi, auaritiæ sectatores, lucrum de mulierculis captantes, longissimas fimbrias faciebant, in quarum summitatibus acutissimas spinas ligabāt, ut in conuiujs uel in synagogis sedentes, inuicem se pungerent, & per hoc legis recordarentur, & qui hoc haberet, religiosior putaretur. Iuxta hanc similitudinem fuit illa fimbria domini, non superstitione pharisaica superflua, sed modica & parua secundum præcepta legalia, quā mulier quæ duodecim annis fluxum sanguinis passa erat, accedens retro terigit, & nō est secundū superstitionem pharisæorū compuncta, sed dñi misericordia sanata. Ad quid autē has & huiuscemodi superstitiones inuenissent, manifestatur cū subditur:

Amant autem primos recubitus in cœnis,
quod pertinet ad uentris ingluuiem. [& primas ca

NN iij

thedras in synagogis,] quod pertinet ad inanem gloriam, & salutationes in foro, & uocari ab hominibus rabbi,] quod pertinet ad indebitam reuerentiam. Sed eorum uitijs patefactis, dominus ab eorum imitatione suos compescuit, dicens:

Vos autem nolite uocari rabbi. Vnus est enim magister uester,] Ac si diceret: Vos enim estis electi, qui unum & uerum habetis magistrum, illum scilicet, a quo procedit omnis sapientia, & cum quo fuit semper, & est ante omnia, quorum fiducia deus est, & quae terrena uobis tribuit, ut caelestia adipisci possitis. Nolite uocari rabbi, id est, magistri, ut honorem ei debitum ad uestram gloriam inflectatis.

Omnes autem uos fratres estis.

In quibus uerbis ostenditur, non tantum carnalem quantum spiritalem natiuitatem esse laudandam, cum ait: [Omnes enim uos fratres estis.

Et patrem nolite uocare uobis super terram. Vnus est enim pater uester qui in caelis est. Nec uoce mini magistri, quia magister uester unus est Christus.] Quibus est enim unus pater deus, & una mater ecclesia, & una est fides catholicorum, consequenter fratres esse debent, non carne, sed spiritu, ut unum credant, unum sapiant, unum desiderent, & impleatur in illis, quod scriptum est:

Psal. 132. Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in unum. Quales erant, de quibus alibi dicitur:

Actu. 4. Multitudinis credentium erat cor unum & anima una. Nec quisquam eorum quae possidebat, aliquid esse suum dicebat, sed erant illis omnia communia. Vnde Apostolus omnes credentes fratres

1. Ioh. 3. appellat. Et Iohannes. Charissimi, filij dei sumus.

Quæritur quare aliqui eos, qui sibi præ sunt in doctrina uel regimine, patres uel magistros audeant appellare, & maxime in monasterijs, cum dominus dicat: Vos autem nolite uocari rabbi, & patrem nolite uocare uobis super terram, & Paulus apostolus magistrum gentium se nuncupet, dicens: Quam diu sum magister gentium, ministerium meum honoricabo. Ad quod dicendum, quia aliud est essentialiter esse patrem & magistrum, & aliud nuncupari. Verus namque ille magister & pater est, qui omnia scit antequam fiant, & cuius sapientia cuncta regit & ordinat. Cæterum sine culpa eos, qui nobis præ sunt, magistros uel patres appellamus, quia in hac appellatione reuerentiam eorum sanctitati & ætatis sapientie deferimus, non tamen autores nostræ confitemur nature. Sicut enim nemo bonus nisi solus deus, & tamen ab eius bonitate multi boni uocantur: ita unus est pater qui omnia creauit, & unus magister qui omnia docuit, tamen ab eius magisterio uel imitatione multi magistri & patres appellantur. Sed iste (ut diximus) essentialiter, illi uero abusive. Sed quia ad hanc dignitatem magistri uel patres uocentur, non per superbiam, sed per humilitatem ascenditur, recte subditur:

Qui maior est uestri, erit minister uester.

In quibus uerbis illorum superbia retunditur, quoniam non per uitæ meritum, sed propter temporalem honorem altiore gradum ascendere cupiunt. Hoc quippe inter secularem potentiam & ecclesie humilitatem distat, quia in illis potentia, in istis humilitas eligitur. Et quanto quisque in illis fuerit potentior, eo & reuerentior: in istis autem quanto humilior, tanto utique melior. Cum ergo ait, [Qui maior

Rom. ii.
1. Tim. 2.

ior est uestrum, erit minister uester, Itale est, ac si diceret dominus: Sicut filius hominis nō uenit ministrari, sed ministrare: & factus est inter uos, uon quasi recumbens, sed sicut qui ministrat: quanto magis magistri discipulis uia humilitatis debet demonstrare: s. ut quo altiores sunt gradu, eo & humiliores sint exemplo. Quod dominus alibi ostendere uoluit, cum discipulis inter se conquirentibus, quis eorum maior esset in regno cælorū, ait: Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici uocantur. In uobis autem non sic, sed qui uoluerit esse maior, sit omnium minimus. & qui præcessor, tanquam qui ministra. Et iterum: Amē dico uobis, nisi conuersi fueritis & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Quam uirtutem præbuit, dicens: Nam quis maior est qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? Ego autem in medio uestrum sum tanquam qui ministrat. Sicut alibi dixisse legitur: Vos uocatis me, magister & dñe, & bene dicitis. Sum etenim. Si ergo ego dominus & magister uobis laui pedes, & uos debetis alter alterius lauare pedes. Quod proprie illorum est facere, qui magis æternam gloriam quam temporalem diligunt uitam. Vnde & subditur:

Luc. 22.

Mat. 18.

Luc. 22.

Ioh. 13.

Qui autem se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur. ¶ Queritur quare dicat, Qui se exaltauerit, humiliabitur, cū multos uideamus in præsentis seculo exaltatos, & usq; in finem ipsorum in ipsa exaltatione permanere: rursum uidemus alios in paupertate & egestate, & in ipsa paupertate usq; ad exitum animæ consistere. Ad quod dicendum, quia qui se in præsentis seculo

superbe exaltauerit in futuro humiliabitur: & qui se in hoc seculo ueraciter propter dominum Christum humiliauerit, in futuro exaltabitur. Sicut ergo inter superbos semper iurgia sunt, sic inter humiles pax & concordia inuiolata conseruatur. Quoniam qui se humiliant in presenti, exaltabuntur in futuro, quando illam desiderabilem uocem audire merebuntur: Euge serue bone & fidelis, quia Mat. 25. super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN, ad Ephesios iij.

FRatres, Renouamini spiritu mentis uestræ, & induite nouum hominẽ, qui secundum deum creatus est in iustitia & sanctitate ueritatis. &c]. Hæc uerba Apostoli ex superioribus pendent. nam sic alloquitur Ephesios. inquit: Deponite uos secundum pristinam conuersationem, ueterem hominẽ, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Ac deinde subdit: [Renouamini autem spiritu mentis uestræ.] Pristina conuersatio est peccatum, & in peccatis manere. Vetus autem homo, conuersatio ueteris hominis Adæ: Quicumq; enim in peccato manet, conuersationem ueteris hominis habet. Qui homo (id est, conuersatio illa) corrumpitur & deprauatur secundum desideria errorum & uitiorum. Renouamini, inquit, spũ mentis uestræ. Spiritum & mêtẽ pro uno debemus accipere, secundum beatum Augustinum, id est, pro rationabilitate mêtis. Duæ sunt autem renouationes. Vna est subitanea ac momentanea, quæ fit in baptisate, in qua renouamur ab